

DE
SACRAMENTO POENITENTIAE,

TITULUS DECIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Poenitentiae secunda Tabula in naufragio.
- 2 In Poenitentia adest promissio gratiae, et Symbolum externum.
- 3 Sacramentum Poenitentiae quando institutum?
- 4 Sacramenta sunt diligenter ministranda.
- 5 Requisite in hoc Sacramento sunt caeteris graviora.
- 6 Quae concurrant ad constituendum Sacramentum Poenitentiae.
- 7 Materia remota, et proxima.
- 8 Forma.
- 9 Minister solus Sacerdos.
- 10 Laicus numquam dispensari potest ut audiat Confessione, S.
- 11 Confessio Sacramentalis facta laico non esset Sacramentum.
- 12 Potestas duplex, Ordinaria, et Delegata.
- 13 In periculo mortis claves Ecclesiae non sunt limitatae.
- 14 Distinctio inter periculum, et articulum.
- 15 Sacerdos excommunicatus potest absolvere in articulo mortis.
- 16 Probitas necessaria Confessario.
- 17 Deficiente probitate potest Confessarius reprobari.
- 18 Scientia necessaria Confessario.
- 19 Non sufficit ut Confessarius sit doctus in aliis scientiis.
- 20 Diversa loca requirunt diversam scientiam.
- 21 Prudentia necessaria Confessario.
- 22 Sigillum Confessionis quid sit?
- 23 In sigillo servando debet esse Confessarius rigorosus et cantus.
- 24 Confessarius est Iudex pro Tribunali.
- 25 Confessarius est medicus Animarum.
- 26 Confessarius iustitiam et misericordiam contemporare debet.
- 27 Est Arbitrator.
- 28 Per lepram significatur peccatum.
- 29 Distinguendum est inter lepram, et lepram.
- 30 Plura de lepra, seu morbo Elephantino.
- 31 Oratio necessaria Confessario.
- 32 Confessarius debet studere libris et Autoribus probatis.
- 33 Catechismus Romanus utilissimus Confessariis.
- 34 Doctores Moralis Theologiae debent esse apud Parochum.
- 35 Doctorum Moraliu et Theologoru iudicium.

- 36 Confessarius consulere debet peritos
- 37 Confessarius debet cognoscere casus, et censuras reservatas.
- 38 Item casus Synodales.
- 39 Praeter casus reservatos potest Episcopus alias Constitutiones edere.
- 40 Theologia Moralis est mare magnum.
- 41 Tutius est amplecti sententias Regulae adherentes.

1 Altera Tabula in naufragio reatus, Poenitentiae est, post Baptismum: *Ex c. secunda post naufrag. de Poenit. dist. 1.* et docet Conc. Trid. *sess. 6. cap. 14. et sess. 14. cap. 2.* estque Sacramentum novae legis a Baptismo distinctum, de quo in hoc praesenti Titulo exponit Rituale nostrum quae necessaria sunt, ut a Ministro observentur.

§. 1: Sanctum Poenitentiae Sacramentum ad eos, qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos, a Christo Domino institutum, eo diligentius administrandum est, quo frequentior est ejus usus, et quo plura requiruntur ad illud recte; digneque tractandum, etc.

2 Quod Poenitentiae sit Sacramentum, clare demonstratur per Conc. *sess. 14. can. 1.* quia cum in Sacramento duo sint necessaria, nempe promissio gratiae, et Symbolum externum, cui gratia adnexa sit: haec omnia in Poenitentiae mirabiliter reperiuntur. Promissio gratiae continetur in remissione peccatorum, eo quia peccata non remittuntur sine infusione gratiae. Symbolum etiam externum aperte subintelligitur, tum ex absolventis, tum ex parte poenitentis: ex parte primi, quia homines non possunt intelligere sibi remitti peccata, nisi signo aliquo externo: ex parte secundi, quia homo nequit absolvi a peccatis, nisi prius signo aliquo Reum se esse testetur; et de illo doleat, Fulien. *de Poenit. cap. 1.*

3 Fuit a Christo Domino institutum hoc Sacramentum tunc quando dixit Petro: *Tibi dabo claves Regni Coelorum, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis, Matth. 5.* vel secundum alios, quando dixit: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, Joan. 10.* et notandum hic quod propoentia intelligitur Confessio, quo nomine communiter appellatur poenitentia apud fideles: Poenitentia enim, seu dolor male facti est antiquissimae originis; sed quatenus est Sacramentum, ex solo Christo originem habet.

4 Quod sit diligentius ministrandum hoc Sacramentum, reperit Corsett. *d. Prax. de poen. c. 5.* Sed in genere omnia Sacramenta sunt diligenter ministranda ob eorum sanctitatem.

Verum tamen est, quod plura requiruntur in administratione Sacramenti hujus, ut in ipsa Rubrica docet illis verbis: *Quo plura requiruntur ad illud etc.* Hoc tamen dicitur non quia plura, et majora non requirantur in administratione aliorum Sacramentorum, puta Baptismi, in quo tot, et talia sunt observanda, ut rite, et recte administretur, sed eo quia adhibenda in aliis Sacramentis, ut plurimum sunt materialia, et caeremonialia, atque ideo Rubrica aliorum Sacramentorum sunt numerosiores. Quae vero requiruntur in Sacramento Poenitentiae, seu in Confessione minora sunt quoad numerum, sed graviora, et potiora, quoad momentum.

§. II, Cum autem ad illud constituendum tria concurrant, materia, forma, et minister: illius quidem remota materia erint peccata: proxima vero sunt actus Poenitentis, nempe Contritio, Confessio, et Satisfactio. Forma autem illa absolutionis verba, *Ego te absolvo, etc.* Minister denique est Sacerdos, habens potestatem absolvendi, vel ordinariam, vel delegatam.

6 Haec tria concurrunt essentialiter in Sacramento Poenitentiae: Materia super quam cadat absolutio, postquam subiecta fuerit clavibus Ecclesiae: Forma, qua ista materia dissolvatur et destruat: Minister denique, qui praescripta forma utatur ad purgandam materiam. Si una harum partium desit, Poenitentia non est Sacramentum, imo neque est Poenitentia: v. gr. si quis confiteretur virtutes, seu opera bona, et acta meritoria, vel nihil loqueretur, absolvi non posset a Ministro. Vel si quis peccata confiteretur Statuae, vel Mulieri, vel Homini non Sacerdoti, cum isti non sint Ministri hujus Sacramenti, Sacramentum claudicaret, imo neque esset Sacramentum, S. Th. q. 84. art. 2. 3.

7 Peccatum dicitur materia remota, non quia multum distet a poenitentia, sed quia habet aliam materiam vicinorem, Coninck *de Sacr. disp. 4. ad 3.* S. Thom. q. 84 art. 2.

Proxima vero sunt actus poenitentis, et dicitur haec materia proxima ex quo cum peccata jam patrata sint, et distent, haec debet praestari in actu Sacramenti, ideoque proxima Sacramento dicitur, quia contritio, confessio, et satisfactio subsequuntur, non antecedunt peccata.

8 Verba insuper sunt, quae dant formam Sacramento, non vero omnia verba, sed illa quae absolutionem exprimunt: cum enim Sacramentum Poenitentiae sit iudicium, quod sit super

patratis a Peccatore, oportet, ut istud iudicium, concludatur, et completo processu expediatur: quare absolutio necessario datur per modum sententiae judicialis, Trid. *sess. 14. c. 5.*

9 10 11 Quoad Ministrum; solus Sacerdos est legitimus, et idoneus Confessionis Sacramentalis Minister, Catech. Rom. *de Poenit.* solis enim Apostolis dixit Jesus, *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, Ex Joann. 20.* Haeretici cum Wicleffo, docuerunt Sacerdotem non esse necessarium Ministrum hujus Sacramenti, ut testatur Waldensis, *T. 2. c. 135.* quem nonnulli ex recentioribus Haeticis sequuti sunt, ut etiam colligitur ex Trid. *sess. 14. c. 6. et can. 10.* quorum fundamentum affert Coninck *de Poenit. disp. 8. num. 1.* Nonnulli etiam falso dixerunt, quod licet Sacerdos sit idoneus Minister hujus Sacramenti, tamen in necessitate, absente Sacerdote, possit Peccator confiteri Laico. Sed Ecclesia in nulla necessitate potest dispensare, ut aliquis non Sacerdos Sacramentaliter absolvat, et nullo modo obligari potest quis, ut confiteatur Laico, Coninck. *de num. 4. 6.* Imo si quis non Sacerdos audiret Confessionem Sacramentalem alicujus, et esset Clericus, a Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tamquam misericordia indignus a foro Ecclesiastico esset arcendus, et ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos haberet, rite degradatus, statim curiae saeculari tradendus esset, Pellett. *disp. cler. p. 1. §. 5. n. 45.* hujusmodi confessio facta non Sacerdoti non esset neque congrua, ideoque neque valida, Honuphr. *de Confess. Tr. 3. quaest. 1. litter. C.*

12 Iste Sacerdos insuper debet habere potestatem absolvendi. Potestas, vel ordinaria est, vel delegata. Ordinaria est, quae alicui competit ratione officii, quo fungitur. Delegata est, quam quis habet ratione confessionis factae ab eo, qui ordinariam habet, Coninck *d. dub. 3.* Ubi notandum venit, omnes qui habent jurisdictionem ordinariam, puta Episcopum, vel ejus Vicarium, posse hanc jurisdictionem, seu potestatem delegare, *cap. cum Episc. de Off. ordinarii, in 6.* Illos vero, qui habent delegatam, non posse eam subdelegare, *cap. cum causam 62. de Appellationibus.*

§. III. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibusque censuris, et peccatis absolvere.

13 Claves Ecclesiae imminente periculo, seu articulo mortis non sunt limitatae, atque ideo quilibet Sacerdos, facultate
Com.—P. 24.

Ordinis, potest in hujusmodi periculo esse legitimus, et idoneus Minister Sacramenti poenitentiae, quia in sui ordinatione, de jure divino, habuit jurisdictionem saltem in habitu, et potentia, Honuphr. *de Conf. q. 2. concl. 1.* et hanc absolvendi a quocumque casu.

14 15 Aliqui Autores distinguunt inter Periculum et Articulum Mortis, et volunt, debere intelligi stricte de Articulo tantum, non vero de periculo. Alii e contra putant in moribus, periculum mortis, et articulum aequivalere, quamvis physice distinguantur: sed cum hoc privilegium idcirco sit datum, eo quia illo maxime tempore praeceptum Confessionis obligat, hinc est, quod debet intelligi indistincte tam in Articulo, quam in periculo; nam in utroque casu praeceptum obligat, Honuphr. *d. §. quod attinet.* Istud privilegium extenditur etiam ad Sacerdotes excommunicatos, aut degradatos, Henriq. *l. 6. c. 11.* et alii apud Coninck, tunc enim temporis, et in illo articulo, seu periculo, in illum Ministrum coalescunt jurisdictionis, legitimum subjectum, potestas in actu primo, et actu secundo, et quaecumque alia necessaria ad authorizandum Ministrum: et intelligitur etiam si inchoata confessione apud simplicem Sacerdotem, superveniret Sacerdos ad Sacramentales Confessiones approbatus: quia Judicium, in quo incoepit, debet perfici. ut communiter docent Doctores.

§. VI. In ejus Ministro requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia, cum sigillo secretae confessionis sub exacto perpetuoque silentio; quibus, et aliis ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent Confessarii, etc.

16 17 Bonitas, quae requiritur in Confessario, est virtus moralis, quae respicit mores honestos, et probos ipsius, adeo ut nulla teneatur censura. Si haec Bonitas locum non habeat in Confessario, potest illum exprobrare Poenitens, et dicere illud Evangelii, *Medice, cura te ipsum.* Ad hanc probitatem acquirendam, necesse est ut saepe relegat opus piissimum Pauli Segneri pro Confessariorum instructione, italice scriptum. Quare potest ab Episcopo revocari approbatio Sacerdoti facta ad audiendas confessiones, si in illo desit probitas vitae, licet doctrina sit excellens, Monacell. *Prae. part. 3. form. 11. n. 4.*

18 19 Ad Bonitatem, seu vitae provitatem, accedere debet Scientia sufficiens ad administrationem hujus Sacramenti:

dixi *sufficiens*, eo quia Tamburin. *l. 5. de poenit. c. 6. §. 5. n. 2.* asserit difficile esse ad unguem decernere ad quem gradum ascendere debeat scientia in Confessario, cujus munus est Judicis, Magistri, et Medici, quoad salutem poenitentis. Nihilominus enumerat specificè tria, quae specialiter debent a Confessario cognosci, 1. quae pertinent ad se ipsum. 2. quae pertinent ad Poenitentem. 3. quae pertinent ad ipsa peccata. Et de his diffuse loquitur citatus Doctor *d. l. n. 2. 3. 4. et 5.* Ideoque admonet Monacell. *p. 3. t. 2.* quod in approbatione Sacerdotis in Confessarium, debet Episcopus animadvertere, non sufficere talem Sacerdotem esse bonum Logicum, Physicum, Metaphysicum, aut etiam Theologum Scholasticum, sed debere sibi constare per examen, vel aliunde, esse idoneum pro administratione Sacramenti Poenitentiae, quia plures dantur Scholastici, qui necessaria pro tali munere non habent, nec sciunt, ut ex certa scientia, et experientia testatur Pascualig. ad Lauret. de Franc. *part. 1. numer. 1398.*

20 Advertendum tamen est cum Coninck. *disp. 8 de Ministr. poenit. dub. 16. n. 125.* diversa loca requirere diversam scientiam: quare quisque videre debet, utrum sit idoneus, ut audiat illorum confessiones, pro quibus exponitur, sive pro iis, qui eo loco, ubi audit confessiones, solent accedere, ut sunt Moniales etc.

21 Ulterius in Confessario requiritur prudentia, quae pariter est Virtus moralis inter cardinales numerata, S. Th. 2. 2. q. 47. art. 1. Sciendum itaque est, quod cum omnes casus occurrentes non possint, nec quaecumque debent resolvi ex tempore, et ut dicitur, in arena; sicuti quod non cunctis personis eadem remedia juvamen afferant, necnon, quod multa, quae alioquin essent facienda, non expediat facere hic, et nunc, secundum varias circumstantias; a prudenti Confessario unice discerni potest quid faciendum in tali, et tali casu, quia prudentiae beneficio perspicitur quae futura sint ex causis, quid fugiendum, quid eligendum. *Arist. l. 6. Ethic. c. 5.* et melius S. August. *l. 1. de lib. arb. cap. 3.* Prudentia est rerum appetendarum, et fugiendarum scientia, cujus munia sunt, bene consultare, recte judicare, et laudabiliter dirigere executionem, Polman. *Brev. Theol.* De prudentia Confessariis necessaria optimum Tractatum evulgavit Valerius Reginaldus Societ. Jesu 1610. in quo multa scitu maxime necessaria leguntur.

22 23 Sed ut ad Sigillum veniamus, Sigillum Confessionis est obligatio, quia quis obstringitur, rem in Confessione Sacramentali auditam alto silentio prorsus obvolvere. Tamburin. *Append. Method. cap. 1.* seu, ut brevius dicam, est Confessarii directa obligatio tacendi confessionem Sacramentalem Poenitentis. Dicitur Sigillum per similitudinem Sigilli epistolae, quo litterae obsignantur, ut in iis contenta, secreta habeantur.

Insuper dicitur directa, eo quia immediate resultat ex divina institutione Sacramenti poenitentiae, et est obligatio juris naturalis, positivi, et divini, necnon Ecclesiastici, *cap. omnis utriusque, et cap. Sacerdos, de penit. dist. 6.* Circa Sigillum dicenda essent multa, sed de hoc in singulis Theologis moribus, praecipue vero in iis, qui de Sacramentali Confessione ex professo tractant, multa, et quamplurima disputantur, explicanturque, nec meum est hic instituere Tractatum de hac materia, sed unice quantum sufficit ad explicandum verbum illud *Sigillum* proponere, enucleare ad instar brevis Commentarii hujus Rubricae. Pro quo dico, Confessarium in Sigillo servando debere esse rigidissimum, quod ut bene illi eveniat, opus est ut usum habeat silentii sibi familiaris, nec se ingerat in conversationibus verbosorum hominum; vitam degat a tumultu alienam, et tacere assuescat etiam ea, quae revelare non nocet.

Caetera necessaria Confessario aperte explicantur a Franc. Maria Campioni in *Instructione pro se praeparantibus ad audiendas Sacras Confessiones, P. 1. c. 12. n. 10. 11. 12. et seqq.*

§. V. In primis meminerit Confessarius, se Judicis pariter, et Medici Personam sustinere, ac Divinae Justitiae simul, et misericordiae Ministrum a Deo constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et homines, honori Divino, et animarum saluti consulat.

24 Confessarius est Judex: pro tribunali enim sedet, et sententiam profert post peccatorum enarrationem, quae tanquam pro processu est.

25 Est item Medicus, nam curat Infirmities Animarum, applicando opportuna remedia ad illarum salutem acquirendam, ac etiam praeservativa insinuando, ne in deterius labantur.

26 Insuper est justitiae, et misericordiae minister; nam quando Christus tradidit facultatem Apostolis dicens: *Quodcumque solveris, erit solutum: quodcumque ligaveris, erit ligatum* seu, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt, Joann. 20. Matth. 18,* Tunc Deus constituit illos Justitiae, et Misericordiae suae Ministros. Justitiae ab illis ministratur, tunc quando puniunt poenitentes, imponendo illis satisfactionem: Misericordia vero tunc, cum illis impertuntur Absolutionem Sacramentalem.

27 Verba, quae Confessarium declarant Arbitrum, maxime

consideranda advertit Campion. *d. cap. 7. n. 6.* et hoc ex eo quia maxima dignatio est divinae Bonitatis, ut velit hominem Arbitrum inter Deum, et hominem: componit enim Arbiter lites, et dissidia, Alciat. *de Verb. Sign.* Et hoc quoque facit Confessarius inter Deum, et Hominem, quia honorem divinum reparat, et consulit saluti Animarum in peccato digentium.

§. VI. Ut ergo recte judicare queat, discernens inter lepram et lepram, et tanquam peritus Medicus, animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare sciat, quantam potest maximam ad id scientiam, atque prudentiam, assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, praesertim e Catechismo Romano, et prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare.

28 29 In antecedenti §. dictum fuit debere Confessarium personam Judicis, et Medici sustinere. Judex debet igitur Judicium facere, et Medicus mederi: ecce modo praesens Paragraphus subjectum demonstrant, et docet, ad quod dirigitur tam Judicium, quam medicina, auferens lepram, ad quam curandam opus est tum Judicii, tum Medicinae, et cum per lepram figuratum sit peccatum, debet prudens Confessarius discernere prius quaenam lepra sit, et haec est pars Judicis: Deinde quodnam remedium aptum sit ad illam curandam, et haec est pars Medici.

30 Lepra non metaphorice sumpta, ut in hoc loco (ubi tamen mirabiliter peccato assimilatur juxta interpretationem Chrysost. in *Matth.* ubi ait: *Lepra enim est peccatum Animarum nostrarum.*) Sed sumpta phisice est morbus scabiei similis, cutem deformi obducens crusta, corpusque vehementi pruritu infestans. Aliter nuncupatur Elephantinus morbus, eo quia cutem scabiosam reddit, ad instar Elephantis, Macri. *Hier. Verb. Elephantinus.* Ab aliquibus in duas species dividitur, scilicet quae cutem infestat tantummodo, et quae carnem ipsam usque ad ossa depascitur; una quae potest curari, altera quae insanabilis est, quam Horat. in *Art. Poet. Malam scabiem vocat:* sed Macrius FR. in quatuor species eam dividit, secundum diligentem expositionem, quae de hoc pessimo morbo habetur in *Levitic cap. 13.* Qui ab illo vexabantur, a commercio hominum, jubente Sacerdote, separabantur, cujuscumque vero speciei esset ista lepra, semper ea infecti tenebantur praecepto Moysis se praesentare Sacerdoti §. *ex bis post Can. 60. de Poenit. dist. 1. et ibi gloss.* Ista obligatio se praesen-

tandi Sacerdotibus fuit, quae assimilavit lepram peccato, seu hoc illi, quia qui tabe peccati infectus est, si velit ea mundari, oportet, ut se praesentet Sacerdoti, qui eum spiritualiter curando, absolvat, et sanet.

Necesse igitur est, ut Confessarius discernat lepram a lepra, hoc est peccatum a peccato, cujus naturae sit, cujus speciei, cujus gravitatis, et quantae, multitudinis, si cutem tantummodo, hoc est leviter Animam tangat, si mortalis sit morbus, vel facilis curationis; ut praestare possit remedia specifica, prompta, et utilia.

Scientiam iterum, et Prudentiam inculcat Rubrica; sed in antecedenti Paragrapho satis loquuti fuimus de illis, et de earum usu in plagis, et ulceribus tractandis tam difficilis curationis.

31 Modo de Oratione dicendum est. Oratio est unum ex mediis propositis Confessario: eritque optima illa, quam composuit, et devote recitabat ante studium S. Thomas, inserta in ejus Opusc. incipiens: *Creator ineffabilis, etc.* Eritque optimum, quotidianum Missae Sacrificium ad hunc etiam effectum applicare, ut Deus nobis conferat scientiam, non inanem, et vacuum, sed illam Sanctorum.

32 33 Secundum medium proponitur studium probatorum Authorum, et praesertim Catechismi ex Decreto Concilii Trid. ad Parochos, Pii V. Pont. Max. jussu editi, seu Doctrina ex eo eruta a Doctissimo Joanne Bellarino Cl. R.

34 35 Hoc unum remanet notabile apud Confessarium, quod Ecclesia inter probatos Autores, unum tantum affert Catechismum Romanum. Equidem hoc volumen, sana, et practica, et tuta doctrina abundat, nec quidquam in eo deest, quod ad fidem, et Sacramenta spectare possit. Vigeant illa aetate qua compositus fuit Catechismus Romanus, nempe anno 1572. Vigeant utique varii Authores, et Doctores, et Summistae; attamen placuit Ecclesiae hunc Librum cunctis aliis praeferre: et quidem jure merito, nam in eo continetur quidquid bono Animarum regimini, et Confessoriorum directioni occurrere potest, optime propositum, et sine ambagibus, et dubietatibus resolutum. Ab illo tempore usque nunc, morales Theologiae Scriptores ad nauseam usque crevere, quorum usus cum discretionem, et sano modo faciendus est, ne Animae in dubietates involvantur. Regulam circa hoc affert laudatus Campion. Author aliquis potest esse probatus, vel per auctoritatem Ecclesiae Romanae, vel alicujus Ecclesiae particularis, vel per communem Theologorum acceptionem. Primi semper praeferrantur aliis; et secundi in illa Ecclesia praeferrantur tertiis.

Multi libri praeter Concilium Trident. commendant a S. Carolo. multi a variis Sanctis Episcopis: Ultimo prodit *Idea Boni Confessarii* juxta doctrinam, et vivendi rationem S. Fran-

cisci Salessi, in qua vere suavissima documenta continentur ad invitandos reitentes Peccatores, ut se purgent a peccatis.

36 Praeter libros Moralis Theologiae consilium quoque maxime prodest Confessario; nam numquam poenitebit homo, si concilium petierit in quocumque opere patrandi. Consilium enim est donum S. Spiritus, Antiquitus conveniebant Monachi ad hoc exquirendum, ut habemus ex Collationibus Cassiani. quas affert Casal. *de vet. Rit. Christ.*

§. VII. Sciat casus, et censuras Sedi Apostolicae, et Ordinario suo reservat as et suae cujusque Ecclesiae constitutiones, easque diligenter observet.

37 Hic quoque lepra a lepra secernenda est nam non omnes morbos animarum potest simplex Sacerdos sanare. Sunt casus, et censurae, quarum cura ad S. Sedem Apostolicam pertinet. et sunt aliae, quae ab Ordinario locorum curari tantum possunt. Ideo Confessarius per jam antecedens studium, cognoscere debet, quae peccata suae jurisdictione subiaceant, et quae potestati Pontificis, et ordinarii, ut poenitentem inducere possit ad habendum recursum et qui habeat Clavis. Et haec scientia omnino est necessaria: quilibet enim judex debet scire quousque extendatur sua Jurisdictio, cujus si terminos transiliat, invalida, et nulla est sententia. In omni autem Republica bene ordinata constituti sunt tales termini, ita quod inferiores Judices habeant solum judicare minora delicta, et ordinaria recognitio graviorum reservetur Judici superiori, et gravissima tandem judicet ipse Princeps, vel qui ab ipso deputantur ex commissione speciali. Sapientissimum hunc ordinem servatum esse, et servari debere in Ecclesia, definivit Concilium Tridentum. *Sess. 14, cap. 7.*

38 Quaecumque Ecclesia particularis habet suas Constitutiones particulares definitas ab Ordinario per Symodales Sessiones, quae sunt tantum locales, non vero universales. In suis Constitutionibus locum habet Casuum reservatio: Circa quam Sac. Congregatio Episc. et Reg. jussu Clementis VIII. edito super absolute a Censuris Decreto die 9. Januarii 1601. monet, ut Episcopi paucos, eosque tantum casus, quod ad Christianam Disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cujusvis Dioecesis statu, et qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent. Et in ejusdem Decreti declaratione die 26. Novembris 1602. facta, haec habentur. Sed ne locorum Ordinarii, ad quos Casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sac. Congregatio

illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat.

39 Praeter casus reservatos, aliae constitutiones fieri, et sanciri possunt ab episcopo, quae jurisdictionis restrictionem inducant in Confessario, vel peccata aggravent, vel alia superaddant, quae particulari inspectione indigeant. Istas constitutiones insuper non solum debent Confessarii observare, sed diligenter animadvertere, et haec diligentia importat, ut caute agant in audiendis peccatis, et cum advertentia se gerant in distinguendis peccatorum speciebus. Unum peccatum enim in una linea consideratum, potest esse reservatum, in alia non; et ita suum munus erit non aggravare citra, vel ultra condignum, poenitentem, *Campionus dicto capit. 7.*

§. VIII. Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte posse studebit, et alia ad ejus rectam administrationem necessaria: atque in hoc ministerio ita procedat, ut infra praescribitur.

Difficile est omnem Doctrinam ad audiendas Confessiones aptam recte nosse: Mare magnum enim est Theologia Moralis, in quo nusquam finis.

Tutior modus est amplexandi sententias, et opiniones magis regulae adhaerentes, et non relaxativas: Ita recte semper judicabit ad praescriptum Rubricae. *Campion. d. n. 9.*

ORDO

MINISTRANDI SACRAMENTUM

POENITENTIAE.

TITULUS DECIMUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

- 1 Rubrica hujus Tituli illustrata fuit per J. M. Campion.
- 2 Confessarius debet se praebere non asperum, non alienum, etc.
- 3 Confessarius peccat si renuit audire poenitentem.
- 4 Oratio faciendae a Confessario ante administrationem Sacramenti.
- 5 Ecclesia est refugium Poenitentiae.
- 6 Confessiones audiendae sunt in Ecclesia.
- 7 In casu necessitatis, et in causa rationabili potest audire extra.
- 8 Causa rationabilis audiendi extra, exprimitur in litteris patentibus.
- 9 Cardinales, et Nuncii habent privilegium ut possint ubique audiri.
- 10 Regulares in propriis cellis audire non possunt confessiones.
- 11 Mulieres et Pueri non possunt audiri extra sedem Confessionalem.
- 12 Portae cubiculi, ubi foeminae audiuntur, aperiendae sunt semper.
- 13 Privatae confessiones abusive ubique audiuntur.
- 14 Confessionalem habere debet Parochus in loco patenti Ecclesiae.
- 15 Confessionalis descriptio a Cavallero facta.
- 16 Sedes Confessionalis in cubiculis Regularium.
- 17 Mulieres ante ortum, et post occasum Solis audiri non possunt.
- 18 Manualis in Missionibus Craticula.
- 19 Violaceus color significat afflictionem.
- 20 Confessarii cum Cotta, et Stola audire debent confessiones.
- 21 PP. Societatis Jesu dispensantur.
- 22 Humilitas necessaria in Sacramento Poenitentiae.
- 23 Vestes Poenitentium modestae esse debent.
- 24 Arma deponenda ab iis qui confitentur.
- 25 Mulieres accedere debent velatae ad Poenitentiam.
- 26 Mulieres immodeste accedentes ad Ecclesias peccant.
- 27 Genua ambo flectenda sunt in confessione.
- 28 Crucis signi mysteria.
- 29 Humilitas interna est dolor compunctivus.
- 30 Caroli V. Imperatoris casus in confitendo.
- 31 Status poenitentis inquirendus a Confessario.